



1489/16



1.489



MONUMENTA HISTORICA

DIOECESEOS

WLADISLAVIENSIS.

XVI.



WLADISLAVIAE.

SUMPTIBUS CLERI DIOECESANI.

Typis Arminii Neuman.
1898.



№ 1225.

01489

A P P R O B A T U R.

Wladislaviae, die 15 Aprilis 1898 anno.

Episcopus Wladislaviensis
seu Calissiensis.

† Alexander.

Regens Cancellariae C. Puacz:


О Д О Б Р Е Н О.

Влоцлавекъ, Апрѣля 3 (15) дня 1898 г.

Судья Суррогатъ

Прелатъ Ст. Ходынскій.

Секретарь Кс. Фр. Мирецкій.



Handwritten signature

Дозволено Цензурою.

Варшава, 3 Мая 1898 года.



Clarissimus Stanislaus Kujot, parochiae Grzybnensis in dioecesi Culmensi hodiernus rector, strenuus ac assiduus rerum gestarum Ecclesiae scrutator, suscepit conquirenda documenta atque colligendas vel minutissimas notitias, historiam Pomeraniae et Prussiae Occidentalis concernentes. Scripta haec sua publici iuris facere sibi proposuit in separato libro Societatis Literariae Torunensis, cui titulus: *Fontes*. Vix dici potest, quanto cum gaudio operi huic applaudamus, unde enim haud parva capiet emolumenta historia antiquae dioecesis Pomeraniae, quae plus quam octiugentis annis regimini Episcoporum nostrorum Wladislaviensis parebat. Hinc est, quod omnia, quae aliquem cum Pomerania nexum habere possunt, praefato docto viro libenter relinquamus tractanda; nos vero abhinc in *Monumentis historicis dioec. Wlad.* ponere curabimus haec solum documenta, quae ad illustrandam historiam antiquae dioecesis Cuiaviensis et hodiernae Cuiavo-Calissiensis, conferre posse indicabimus.

In praecedenti fasciculo praebuimus Visitationem ecclesiarum Pomeraniae, anno 1597 peractam, eamque antiquissimam affirmare non dubitavimus: quae relate ad Pomeraniam reapse talis est, quamvis haud dubie etiam antiquiores exstiterint Visitationes episcopi Stanislai Karnkowski, quae tamen malitia eorum, quos atro carbone depingebant, cum irreparabili historiae damno, sublatae fuerunt. Huc certe referendum est testimonium Damalovicium, de quo in limine superioris fasciculi, iam mentionem fecimus.


Altera pars dioecesis nostrae Wladislaviensis, quae regionem Cuiaviae complectitur, antiquiores habet Visitationes quam terra Pomeraniae: exstant enim hucusque in archivo Capitulari libri Visitationum memorati zelosissimi et vigilantissimi episcopi St. Karnkowski, a. 1576 et 1577 conscripti. Horum aliqui sunt quidem sat perfunctorie exarati et rem nimium breviter tractant:

attamea ob antiquitatem, suam formam et materiam, magni sunt momenti, ut facile est videre omni eos legenti.

Has Visitationes in praesenti et mox sequenti fasciculo, proponimus benevolo Lectori, quin eas commendare, aut eis adnotationes aliquas attexere necessarium ducamus, quae superfluae nobis esse videntur. Omnes Visitationes Karnkovicanae continentur in *Vol. 24* archivi Capitularis, ex quo iam nonnulla documenta in his *Monumentis* typis vulgavimus.

Caeterum, solertiam nostram ac laborem hac in re in maiorem Dei gloriam conferentes, toto corde gratias persolvimus Venerabili Clero Dioecesis nostrae, quod sumptus suos in editionem hanc comparandos, abhinc libenter impendens, ardentibus nostris respondet optatis. Neque minus gratias referimus A. R. D. Johanni Sobczyński, charissimo commilitoni nostro, in Seminario Wladislaviensi Professore Philosophiae, qui nobis in typis corrigendis et non raro in restituendo textu documentorum, negligenter transcriptorum, praesto semper adest.

S. Ch.



Visitatio Ecclesiae Cathedralis Wladislaviensis

anno 1577 peracta.

De Wladislaviensi Cathedrali Ecclesia
et sua Collegiata Crusviciensi.

gdru: o samym Karak.
infra p. 10-12

Wladislaviensis Ecclesiae, quae quondam Crusviciensis nuncupabatur, Pontificatus et Sedes, anno eo quo Poloni idolorum cultura abiecta, lumine fidei illustrati sunt, a primo Polonorum principe catholico Miecislao, et filio eius Boleslao Chrabri, primo Polonorum rege, videlicet anno gratiae 996, cum aliis ecclesiis cathedralibus Poloniae fundata, erecta atque dotata est. Et primum in oppido Kruswica, ad lacum Goplo constituta. Quo progressu temporis, in solitudinem et desolationem redacto, cum illud, et mercatorum et civium frequentia deseruisset, ad locum magis habitabilem et cultum, oppidum Wladislaviense, ad fluenta Vistulae situm, ex Cruswica translata est. Et ut maiora facilius incrementa brevi assumeret, oppidum praefatum Wladislaviense, ditioni et proprietati episcopali perpetuo donatum et largitum. Quae licet ante ea urbs regalis sive ducalis habebatur, liberalitate tamen principum Poloniae pontificatui Wladislaviensi extunc addicta est.

Quo autem tempore, quove gratiae anno, sub quibus etiam principibus Poloniae, et sub quo Wladislaviensi episcopo translatio huiusmodi celebrata et confecta sit, parum constat. Nulla enim super his

exstant litterarum monumenta, sed nec memoria a priscis ad nostram aetatem traducta. Salutarem autem et iustam servasse videtur primarius eius translator normam, nam Crusviciensi ecclesiae in translatione huiusmodi nihil videtur, praeter Praesulem, abstulisse, sed omnes illi personatus, dignitates et praebendas, absque omni mutilatione, integras reliquisse, quas et in diem hodiernam retinet, eo vel maxime parum fortunata, quod a suis Praelatis et Canonicis raro visitur, raro frequentatur, ita ut raro in ea divina administrentur, singulis fere residentiam fastidientibus, et nonnisi fructus et proventus curantibus. Indiget magna reformatione, de qua Reverendissimus cum Illustrissimo Nuntio Apostolico consilia communicabit.

Quaestiones pro Visitatione.

a) *De Episcopo.* 1. Quomodo intravit, an per ostium vel aliunde. 2. An castitatem servat. 3. An lectioni, meditationi ac devotioni sit intentus. 4. An singulis diebus horas canonicas orat. 5. An saepe confitetur. 6. An singulis diebus sacrum audit. 7. An saepe sacrificat, vel saltem festis principalioribus. 8. An circa ecclesiam commoratur. 9. An verbum Dei ex cathedra praedicet. 10. An dioecesim visitat per se vel per archidiaconum. 11. An Ordines initiandis conferat et num in eo delectum hominum habeat. 12. An Sacramentum Confirmationis saepe conferat. 13. An praecipua loca inter haereticos providet bonis, doctis praedicatoribus. 14. An domui suae bene praeest. 15. An habeat Cancellarium in aula. 16. An iuris utriusque doctorem. 17. An Capellanos et Cantores. 18. An in aula sua habeat verbi divini praedicatorem. 19. An maiorem domus super familiam. 20. An iuvenes qui sunt in obsequio eius et familiam in disciplina contineat, et num aliquos haereticos in aula sua habeat. 21. An habeat bonum testimonium foris. 22. An liberalitatem in pauperes, studiosos, viduas pauperes et idoneos Dei ministros exerceat. 23. An templa re-

ficit, et ab haereticis occupata repetit. 24. An habeat Oeconomum bonorum ecclesiae. 25. An subditorum querelas audiat. 26. An pecuniam dat ad usuram vel aliqua pignora. 27. An ex bonis ecclesiasticis emit bona terrestria sanguine iunctis. 28. An bona ecclesiastica et fines seu limites bonorum defendat. 29. An factoribus et arendatoribus bona diripi et subditos laboribus et exactionibus premi patitur?

b) *De ecclesia Cathedrali Wladislaviensi.* 1. A quo tempore fundata sit. 2. An episcopus in ea resideat. 3. An habeat Vicarium et Officiale in spiritualibus, virum idoneum. 4. An habeat ordinarium praedicatorum. 5. An Confessarios seu Poenitentiarios. 6. An Praelati et alii officarii fungantur officiis suis. 7. An Canonici regulariter vivant, et quot resideant. 8. Ecclesiae proventus quales sint. 9. An cultus divinus in templo rite et diligenter peragatur. 10. Quam munde servetur sacrosancta Eucharistia, item chrisma. 11. Thesaurus ecclesiae, aurum, argentum, apparatus ecclesiastici. 12. Quot numero Vicarii. 13. Quot Altaristae, Psalteristae, Mansionarii, Gratialistae. 14. An aliquis eorum foveat concubinam. 15. An preces pro defunctis non intermittant. 16. An distributiones quotidianas absentibus aut in villis praestimonialibus manentibus dent. 17. Qualis Schola. 18. De Seminario. 19. De victu et sustentatione Scholae. 20. An sit Hospitale propter pauperes, et per quem liberalius provideatur?

c) *In Parochos.* 1. Dos plebanalis. 2. Numerus villarum. 3. Consecratio templi. 4. Juspatronatus. 5. Institutio rectoris seu missio legitima. 6. Numerus haereticorum.

Ecclesiae Cathedralis Wladislaviensis Visitatio.

Huic ecclesiae praeest Reverendissimus in Christo Pater Dominus Stanislaus Karnkowski Episcopus, qui in hac sua Cathedra residet, omnibusque solemnioribus festis in pontificalibus divina peragit officia, sacros clericorum Ordines, et temporibus a iure sta-

tutis et aliis festis frequenter confert, caeteraque munera suae episcopali dignitati incumbentia, per se absque ulla negligentia administrat, praecipuamque curam in augendo cultu divino et extirpandis clericorum depravatis moribus, cum in tota dioecesi hac tum vero circa cathedralem residentibus, quod omnibus et in vicinia et in remotioribus locis degentibus, absque ulla tergiversatione notum atque clarum existit, sollicitudinem non intermittit.

Haec cathedralis habet septem praelatos et viginti canonicos.

Ordo Praelatorum. (9)

Praepositus *Joannes Tarnowski* subdiaconus, qui obtinet primam post pontificalem dignitatem.

Decanus *Mathias Wielicki* presbyter.

Archidiaconus Wladislaviensis *Josephus Konarzewski* iuris utriusque doctor, presbyter.

Scholasticus *Joannes Solikowski* presbyter.

Cantor *Mathias Kielpiński* presbyter.

Custos *Stanislaus Oszowski* presbyter.

Archidiaconus Pomeraniae *Albertus Gadomski* iuris utriusque Doctor, acolytus.

Praefati praelati dotem seu fundum suarum praelaturarum habent singuli viginti marcas usuales, excepto praeposito, qui habet triginta marcas, quam pecuniam singuli capiunt de manibus procuratoris ex mensa capitulari et inde annuatim faciunt contributionem pro fabrica cathedralis ecclesiae, singuli per quindecim grossos, eam autem dotem pecuniariam capiunt absque ullo discrimine tam presbyteri quam acolyti et tam praesentes quam absentes, viginti autem marcae polonicae non excedunt sedecim de Camera ducatos in auro.

Ordo Canonicorum. (20)

Joannes Witkowski presbyter.

Andreas Naramowski presbyter.

Jacobus Milewski presbyter.

Joannes Zimlinski presbyter.

Joannes Piobrowski presbyter.

Mathias Wyszczelski presbyter, Medicus, super-
numerarius Canonicus.

Nicolaus Koss presbyter.

Laurentius Goslicki subdiaconus.

Silvester Roguski presbyter.

Marcus Wysocki presbyter.

Andreas Kretkowski acolytus.

Sebastianus Koskowski presbyter.

Mathias Karski acolytus.

Nicolaus Konarski presbyter.

Nicolaus Koniecpolski acolytus.

Andreas Witkowski, acolytus.

Paulus Cichrowski presbyter.

Tomas Zalczewski subdiaconus.

Stanislaus Durin Wolski acolytus. *habet dnm?*

Lucas ab Uniejów Magister Theologiae, concio-
nator ordinarius.

Praefati canonici singuli habent annuatim in dotem suam canonicalem marcas polonicales quinde-
cim; ex hac pecunia singuli annuatim contribuunt
pro fabrica suae cathedralis decem grossos. Singu-
lorum canonicorum dos seu fundus non excedit de
Camera apostolica tredecim ducatos in auro. Ex
praelatis residentes continui decanus, archidiaconus
et cantor; ex canonicis vero Andreas Naramowski,
Marcus Wysocki, Mathias Wyszczelski, Sebastianus
Koskowski, Paulus Cichrowski, Lucas ab Uniejów
concionator. Praedieti residentes circa eandem eccle-
siam pro interessentiis divini officii habent quotidia-
nas distributiones, panes duos singuli dietim, ponde-
ris unius lapidis seu viginti quatuor talentorum. Et
pro una septimana singulis debetur una marca polo-
nicalis, quae de Camera non plene ducatum in mo-
neta continet. Panis quidem residentibus distribui
non negligitur; at pecuniaria distributio septimanae,
propterea quod proventus mensae capitularis annuae,
per debentes decimas non solvuntur, negligitur, ita
ut vix quinque septimanae praesentis anni 1577, per

procuratorem capitularem sint exolutae, prout in refectionario quotidiano adnotatum clare conspicitur. Vigiliae quoque anniversariorum per canonicos decantatae sub expectativa solutionis futurae adnotantur, dari tamen solet una polonica marea officianti seu divina officia per unam septimanam ad maius altare decantanti. Ratione autem huius marcae officians dat prandium Vicariis sibi ministrantibus ac caeteris, ita ut aliqui plus oneris quam commoditatis sibi huiusmodi marcam afferre existiment.

Circa autem eandem cathedralem residet semper in loco Vicarius in Spiritualibus et idem Officialis generalis Reverendus dominus *Mathias Wielicki*, huius ecclesiae Decanus, moribus et scientia et vitae honestate facile primatum in Collegio capitulari obtinens, cuius ut auctoritas integrior appareat, eundem Reverendissimus certa possessione et praedio de sua mensa, Capituli sui interveniente consensu, providit, et usum fructum ad vitam dicti domini Officialis eorundem bonorum concessit.

Habet etiam haec cathedralis Concionatorem ordinarium, peculiari sollicitudine et liberalitate R-mi Domini Loci Ordinarii conquisitum et provisum, *Lucam* Magistrum Theologiae, virum disertum et doctum.

Poenitentiarum quoque ordinarii duo, viri graves, aetate ac scientia maturi: *Felix Aquilinus* et *Andreas de Wieniecz*. Sunt praeterea occurrente necessitate alii duo confessores *Stanislaus Zaleski*, et *Franciscus a Pczin* vicecustos huius ecclesiae, prioribus aetate et scientia non dissimiles.

Primus testis honorabilis *Franciscus a Pczonów* vicecustos et vicarius perpetuus ecclesiae huius Wladislaviensis, praestitit iuramentum de dicenda veritate, citatus existens. Interrogatus a quo tempore fundata sit ecclesia haec Wladislaviensis, deposuit, hoc contineri in certis litteris indulgentiarum, in quibus habetur, data Avinione XVI mensis Novembris, de anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo, episcopo pro tunc existente Mathia. Deposuit etiam

1360
to rary, in wedy byia Hnarszkowian
po spulennu jej mber Kory, ahaw cai 1329 r

4. infra p. 19 i
22

testis, Reverendissimum D-num Episcopum frequenter in hac sua cathedrali residere, et etiam bene, ut moris est, confirmatione praevia apostolica, ad hanc suam ecclesiam accessisse et in eam intrasse. De castitate etiam interrogatus testis respondit, Reverendissimum sic modeste et parce quo ad illius personam spectat vivere, ut sit speculum et exemplar vitae sacerdotalis. Nam illum aliquando vidisse ebrium, unde omnia manant vitia, nullus affirmare, bona conscientia sua, potest. Lectioni quoque ita intentum esse, dixit testis, ut in ea non solum diurnas sed etiam nocturnas iungat horas, somnumque propterea breuem faciat, quia semper incoenatus horis noctem intrantibus lectioni dat operam priusquam se cubitum confert. Horas etiam canonicas secundum oecumenicum Tridentinum decretum, quotidie Deo pensum reddendo, recitat, ac sanctam Missam non semel sed aliquoties, tum legi tum decantari audit, nam in templo suo cathedralitico fere per omnia officia divina, preces, meditationesque pias absolvit Adiecit etiam testis, eundem Rever. Dominum saepius, ac praecipue in festis solemnioribus sacrificium iuge in pontificalibus Deo offerre et sacros Ordines libenter postulantis et antea per Archidiaconum examinatis, conferre et actum confirmationis sacrae, quoties usus postulaverit, exercere. Deposuit quoque testis, Rev. D-num Episcopum Wladislaviensem saepe concionatum esse ex superiori loco, et praesertim in sua cathedrali Wladislaviensi, praesente Serenissimo Dei gratia Rege Poloniae*) in die Coenae Domini, asseverando et docendo veritatem Corporis Christi in sanctissimo Missae sacrificio, et quod idem sit numero Christus post consecrationem in altari, qui fuit in utero beatae Virginis Mariae et qui pendebat in cruce, totius generis humani (*culpam*) in suo portando corpore et qui nunc et semper

Karamanli

*Ecco genera
Karamanli o Eud.
miramur pro d. h. l. l.*

*) nempe rege *Stephano*,

19 i

residet in dextera Patris. Unde etiam evenit, ut ipse Serenissimus Rex post multorum praelatorum et canonicorum sub una specie communicatorum, procumbens ad maius altare, ibidem sub una specie panis publice coram tota multitudine spectante, sanctissimam Eucharistiam de manibus eiusdem Domini Episcopi sacrificantis sumpserit, ipseque Serenissimus Rex devotionem homine adeoque Principe Christiano dignam, coram exercuerit. Praedicat etiam ex suggestu Rev. Dominus aliis temporibus et in aliis locis ita, ut excitet auditores ad cordis compunctionem, uti accidit in cathedrali sua nocte ad primam Missam, quam ipsemet celebraret in Nativitate Christi et in conventu generali Regni Senatorum Torunii 1576, praesente Rege celebrato, ubi etiam aliqui Senatores diversum a catholica assertionem affirmantes, in suis compuncti cogitationibus, ex ea domum redibant. Testis qui super, addidit, Rev. Dominum suam saepius visitare Dioecesim idque agere, ut ex eius visitatione ubique maiore ex parte maneret reformatio et pastoralis cura. Accidit etiam dum ecclesias in Pomerania, ubi et Gedanum consistit, ante indictionem belli visitasset, ut ibi multas ecclesias consistentes, et in eis sacerdotes ex suo aerario pretium illis pecuniarium re ipsa praestando, reformarit, ubi praecipua Regni fax hereticorum consistebat, quorum nonnullos instar vincitorum ad turres suarum possessionum coniciebat, sessioni sustinendo mancipatos. Iam quoque visitationem frequenter ad corrigendos mores parochialis crimina per suum Archidiaconum non intermittat, cum magno Archidiaconi labore et plerumque privatis Archidiaconi impensis. Asseruit etiam testis Rev. Dnum Episcopum praecipua loca ut principalia, ubi haeretici gregatim sua plerumque faciunt conventicula, in sua Dioecesi bonis viris pietatem colentibus et disertis verbis sanctum Evangelium enarrantibus, providisse, quemadmodum in civitate Radziejoviensi, ubi Dominus Raphaël Leszczyński Capitaneus eiusdem loci, ex opposito catholicae et parochialis ecclesiae in

Handwritten note:
Rev. Dominus
Leszczyński

quodam colle posuit synagogam, in qua haereticus Andreas, haereticorum huius Regni archisynagogus, qui caeteros a se ordinatos et ad depravanda hominum corda missos, alibi constituit, praedicat, nullo ibi alicuius sacramenti vestigio apparente, sed tamen parietibus nudis contentus, non aliud quam invectivas praedicationes contra apostolicam sedem et episcopalem dignitatem ad populum facit, ac deinceps cationeulis idiomate polonice, veluti certa refectione auditorum animos solatur. In eo loco in parochiali Rev. in Christo Pater plebanum et virum doctum Ioannem Grocki, recta praedicantem, suis constituit sumptibus, qui omnibus dominicis et festivis diebus verbum Dei cum uti par est dexteritate praedicando, multos ex adverso positae synagogae auditores convertit. Illumque Andream archisynagogum veluti acerbam pestem, omnibus in Christo baptisatis, Deo volente, indubitanter persuasit. Ita ut nunc cum ibidem Rev. Dnus Episcopus ad festum Nativitatis Gloriosissimae Virginis Mariae sacrum audiendum constitutus esset, praesentem visitationem continuans, omnes turmatim vestigia Rev. Domini sequentes, parochialem ecclesiam satis amplam compleverint illaque synagoga, veluti iam deserta apparebat, in qua Andreas synagogus metquartus suos recitabat errores. Simili modo et in alio loco in civitate regia Nieszoviensi docto viro Theologiae Magistro constituto et propterea a sua familiaritate et praesentia ablegato, in eadem civitate multos, qui aliorum depravatorum conversationibus a pietate catholica abducti erant, reduxisse ad catholicam assertionem clarum et evidens factum proclamat et testatur.

Non tantum autem foris et in locis suae Dioecesis reformationem Rev. dominus curat. Nam non plures quam sex aut novem Ecclesiae parochiales suae Dioecesis, adversa veritati catholicae praedicatione per vim magnatorum infectae sunt. Sed etiam cum primis domum et familiam suam Rev. Dominus ad pietatem colendam exercet ut adversarii etiam inviti bona et honesta tum de persona Rev. Domini, tum de illius

*to Andree Paster
- by the bokatani
- avrum*

more to presada,

Laurence bpa

Jan Tarnowski
infra p 16 i 55

infra p 16, 20

continuis familiaribus loquantur. Nam maiorem domus suae, veluti omnis honestatis custodem et iniuriarum emergentium sedatorem habet, Cancellarium autem, seu canonicum auditorem, tum etiam a consiliis multae doctrinae et experientiae virum J. U. doctorem et Capellanos tres ac Magistrum in Theologia, familiarem continuum, verbi Dei disertum et gratum auditoribus praedivatorem, nec non duos Magistros artium et baccalaureos in latinitate soluta et poetice orationis suae et iuventutis in sua curia versantis commoditatis causa fovet, providet et singulari mercede suae curiae asseclas complectitur. Nam Rev. Dominus in hoc suum totum absumit studium, ut doctos et studiosos conquirat et certa provisione complectatur; pauperes scholares et eas quae vere viduae sunt mulieres sublevando et eis patrocinando corporis animique necessitatibus. Unde fit, ut subditi in suis gravaminibus et querelis tuto ad praesentiam Reverendissimi accurrunt, non destituti, quin imo solatione paterna suffulti, recedentes, quod etiam bonorum ecclesiae et mensae episcopalis oeconomus praedia et possessiones saepe visitando facit, ut inde et subditi et bona ecclesiae tanquam singulari recreatione affecti esse videantur.

Interrogatus quoque testis, si qua alienatio bonorum ecclesiae vel propinquorum ditatio existat, vel factores praediorum subditos gravent praeter solitum: respondit, loco ditationis suorum multa Rev. Dominum in usum pauperum et doctorum provisionem expendere atque in eo declarari factoresque secundum sui animi sententiam in subditos nimirum benignos habere.

De Seminario quoque testis interrogatus respondit, in eum modum fuisse per Rev. Dominum Seminarium institutum anno Domini 1568 de mense Februarii, cum sacrosancti Concilii Tridentini Decreta in convocatione synodali per eundem Reverendissimum uti praesidentem dioecesanae synodi publicata erant. Ibidem suis admonitionibus Rev. Dominus tecti congregationi synodali auctor et dux fuit, ut

Patris cui dominus
dixerit

omnes, uno ore, professionem fidei catholicae ex praescripto oecumenici concilii et Romano Pontifici obedientiam flexis genibus ad maius altare in cathedrali Wladislaviensi promitterent, et facerent, ac dictis oecumenicis decretis in toto et in parte parent, id quod secutum est, et mediante iurisiurandi vinculo ab omnibus affirmatum, iactoque huiusmodi fundamento, Seminarium ipso facto institutum fuit, certum et commodum domicilium exaedificatum, Professores in Theologia duo viri et in philosophicis praeceptis duo Magistri et tres baccalaurei, tum in graecis tum in latinis eruditi, in domicilio et commorabantur et publice lectiones interpretabantur pro quorum contentione certa stipendia, autoritate illius Synodi Rdis Dominis abbatibus, Coronoviensi, Pelplinensi, Olivensi, ac praepositis monasteriorum Zukoviensi, Zarnovecensi et Strzelnensi, ut certam summam pecuniarum annatim offerant iniunctum erat. Et ne institutio tam pia et oportuna dilata esset, ipse Rev. Dominus obtulerat se sexcentos in moneta florenos singulis annis contribuere. Et omnium primum de mensa sua episcopali eam praedictis Dominis praelectoribus provisionem dedit, in qua illi donec huiusmodi negotium progressu firmatum esset temporis praesistebant ac libenter illi acquiescebant. Iamque caeperat illud Seminarium exurgere et pullulare, nam multorum nobilium filii accesserant gratia discendi, quibus in quotidiano victu per Reverendissimum competenter provisum erat. Tandem fato quodam, pro ut Superis visum est, (generale et tumultuarie pestilens, quod multa variaque loca ac regiones pariter invaserat) malum accidit, quod et lectores e medio sustulit et turbam auditorum absque ulla mora ad sua redire coegit. Postmodum vero cum durasset eiusmodi malum fere integro triennio, res illaque pia institutio non facile reintegrari poterat, Dominique abbates et caeteri auxiliaarii et contributores, quod tanto tempore non esset provincialis Synodus coacta, ad unum locum commode vocari non poterant et veluti Rev. Domini sui Ordinarii superioritatem et iu-

Narravit in sin.

2. 1. 1. 1. 1.

*nie cher ob
17. 1. 1. 1. 1.
progryna*

risdictionem maiore ex parte declinabant, tanto minus illud laudatum Synodale tributum afferri Wladislaviam curabant. Et propterea hactenus dispersum Seminarium in suis pristinis viribus coalescere et coire nequit.

Secundus testis. Honorabilis D. *Petrus a Bielawy*, Vicarius et Vicedecanus Wladislaviensis ecclesiae, annorum plus minus sexaginta, citatus et iuratus in hunc qui sequitur modum, deposuit. A quo tempore fundata esset ecclesia sibi non bene constare dixit.

Castitatem autem, lectionem, meditationem ac devotionem Rev. D-ni Episcopi in sua depositione affirmavit, plusque in his temporis eum absumere, quam in aliis negotiis asseruit. De Horis autem canonicis, quod semper recitentur ac sancta audiatur Missa semperque ante celebrationem idem D. Episcopus praemittere soleat confessionem ex sua certa scientia, quod viderit eum id facere affirmandum deposuit. Frequenter quoque D. Episcopum in hac sua cathedrali commorari et omnibus vitiis clericorum intendere, ac in pontificalibus solemnioribus festis, excepto tempore comitiorum Regni, in quibus eum uti Senatorem adesse oportet, plerumque etiam lectas Missas etiam feriali die sacrificandas non intermittere. Praedicare etiam verbum Dei D. Episcopum testis pro notorio et evidenti facto; sic ut Dioecesim visitare ac Odines conferre cupientibus confirmationisque sacramentum quoties usus postulat non differre, quin immo haec omnia illum ex animo et libenter facere, affirmavit.

Ad eundem modum asseruit, quod D. Episcopus doctis hominibus ecclesias, ubi maius periculum et maiorem haereticorum congregationem vidit, constituendos providit, cuiusque rei domi suae singulare exemplar exhibet. Nam et Cancellarium Praepositum Wladislaviensem et Crusviciensem ac D. Archidiaconum Pomeraniae Iuris V. D., Cantoresque et Capellanos, quorum opera non alibi plus quam in templo ad exercendam Dei laudem et hominum devotionem inflam-

mandam et augendam utitur, quod testis pro manifesto et notorio asseruit, eum facere, habere in sua curia, fovere pariter et disertum Theologiae Magistrum, in eadem sua curia continuum familiarem. De maiore vero domus, qui vitia in iunioribus ibidem versantibus prohibeat et virtutis spectandae iter demonstret, testis supervacaneum esse deponere dixit, cum id fere omnium oculis tum domesticis et ad curiam D. Episcopi accedentibus, expositum sit. De testimonio extraneorum quid de Episcopi nomine auctoritateque sentiant, testis difficiliter esse disserendum deposuit. Nam cum quispiam incidat in congregationem et mutuam conferentiam adversariorum catholicae Ecclesiae non bonis, nec gratis verbis apud eosdem nomen et auctoritatem D. Episcopi ventilari et traduci. Rursum vero apud eos, qui pietatem christianam et obedientiam, ut est mos catholicorum, colunt, verba de eodem nomine et illius vocatione iucunditatis plena et afferunt et in suis sessionibus et mutuis conferentiis intermiscere non negligunt. De liberalitate autem in pauperes clericosque ac studiosos testis interrogatus, respondit, hoc potius in ore clericorum disciplinatorum et vere studiosorum ac quorumlibet pauperum resonare, qui omnes suorum defectuum provisorem, benefactorem, et veluti communem suum parentem appellantes et tam praesenti quam absentem bene volunt Deum pro illius conatibus et progressibus, ac bona sanitate passim et palam precantes.

De templorum autem restauratione et in quantum fieri potest ab insultu et occupatione haereticorum, tum per se tum implorata ope Serenissimi Regis ac eorum senatorum, qui antiquis suorum patrum ingrediuntur viis et catholicas plurimi faciunt semitas, toto conatu vindicare et in eo temporis et impensarum plurimum insumere. De oeconomio vero bonorum ecclesiasticorum testis ex auditu et conferentia aliquorum se audivisse deposuit, quod D. Episcopus ad eiusmodi oeconomatum, post mortem olim Domini Andreae Blinowski Canonici Wladislaviensis et oeco-

*opinionem ubi loquitur
magistrum in*



nomi, duos selectos viros, videlicet Albertum Gadoski archidiaconum Pomeraniae et Nicolaum Koss canonicum wladislaviensem, nominaverit et Capitulo suo wladislaviensi alterum ex his eligendum proposuerit, quod hactenus in deliberatione Capitulari, ad generale Capitulum, quod ad festum Trium Regum proxime venturum celebrandum est, existit; etsi interea, ne quid huic officio desit, oekonomi idem officium exercet nobilis dominus Lucas Skarzyński, familiaris eiusdem Dni Episcopi, vir a catholica integritate non alienus, qui et subditorum querelas, impedito D. Episcopo aliis negotiis, audit, iustitiam ministrat et ad integritatem reducit. Testis quoque interrogatus, an pecuniam D. Episcopus usuris committat, vel bona terrestria sanguine iunctis comparet, respondit, haec facta prodigiosa apud D. Episcopum locum non habere, ut qui in usum pauperum (studentium clericorum), omnem quam ex bonis episcopalibus pecuniam erogare non intermittat, ita ut propterea a suis consanguineis minus bene obaudiat.

De limitibus etiam testis deposuit, facere Dnum Episcopum diligentiam iamque in aliquot locis tempore sui episcopatus inter bona ecclesiae et nobilium bona contigua limites et scopulos erexisse dicitur, quemadmodum in bonis ecclesiae Sławsko et in clave Wolborensi inter bona sua Łaznowo et bona Capituli Cracoviensis; in aliis autem bonis defensionem non intermittit facere debitam.

De factorum quoque gravaminibus et iniuriis, si quae subditis ecclesiae, ubi praesunt, irrogantur, frequens per oekonomum generalem examinatio solet fieri et tantum deposuit: cui, ut moris est, silentium perpetuum est iniunctum.

Tertius testis Reverendus D. *Mathias Wielicki*, Decanus et Vicarius in spiritualibus et Officialis generalis wladislaviensis citatus et iuratus.

A quo tempore sit fundata ecclesia cathedralis wladislaviensis, testis supra positus deposuit, sibi nihil constare, de praemissis ex auditu tamen et re-



latione aliorum multos intercessisse annos. Foenerari Episcopum negative deposuit, addens, de hoc Episcopo non solum dicere, sed etiam suspicionem habere criminis foeneratorii impium esse. Mansionarios et Psalteristas deposuit integrum non conficere numerum. Gratialistas autem sacerdotes ut improvisos circa hanc cathedralem non esse. Ad alia vero interrogata in prioribus depositionibus idem fere prout et superiores testes respondit, et per hoc praesens testis est absolutus.

Quartus testis Venerabilis D. *Marcus Wysocki* canonicus wladislaviensis, citatus per certum et ad id deputatum per dominos examinatores executorum, et ad sancta Dei Evangelia positus duobus digitis, iuratus de veritate dicenda.

De fundatione ecclesiae a quo tempore sit erecta, retulit se testis ad litteras indulgentiarum, in quibus habetur millesimo trecentesimo sexagesimo exaedicatam plane fuisse hanc cathedralem ecclesiam.

Quomodo autem intraverit D. Episcopus ad hanc suam ecclesiam, testis dixit, eum bene intrasse, nam omnibus iuribus prius obtentis, ad hanc accessit ecclesiam, nimirum praesentatione Regia et Apostolicae Sedis confirmatione et provisione litterisque sub plumbo ad id necessariis obtentis.

Castitatem autem D. Episcopum servare, testis deposuit ex ea scientia, quia ad eam servandam saepe totum clerum inducit et veluti a cuiuscumque foeminae colloquio abstinet, nec cum illis habendum aliquod commercium persuadet, adducens illud: de vestimentis tineam et a muliere omnem viri iniquitatem procedere, et in hoc facto aversando graviter id Rev. D. Episcopus punit. Atque hoc peccatum, non autem personam perpetuo prosequitur odio. Meditationi autem ac lectioni D. Episcopum intentum esse, testis deposuit, adeo ut propterea cibum et potum parcissime etiam convivando assidens sumat; somnum quoque non in cubilibus, sed in scamno nudo trium horarum, ad maximum quatuor, sumat. Et ubi desierat ante somnum vel lectionem vel aliquam sacerdotalem ora-

spat. G. Wiedke

tionem, inde expectatus et gravi somno solutus, reincipit lumine candelae perseverante.

*brevis abbas
in hincide*

motyva

*populo ho
summe*

Horis autem aurorae proximioribus, quam primum campana ad matutinum dederit sonum, eodem momento se ad ecclesiam confert, paucis vel saltem tribus duobusve illum comitantibus, ibidem in templo et horas canonicas absolvit et sacra audit officia, ex templo non discedens trium vel paulo amplius horarum spatio, ac deinceps post Missam sanctae Trinitatis cantatam, ac itidem aliis officiis et summo sacro finitis, domum redit. In hac cathedrali ecclesia saepissime commoratur et omnia ad dignitatem et officium episcopale spectantia, absque ulla molestia perficit. Saepeque confitetur et ad crebram faciendam confessionem tum dominos Capitulares et alterius inferioris ordinis clericos commonet. Viros doctos iuxta ac pios, sacerdotali caractere insignitos, undequaque advocat et in aula sua retinet, quos tandem, loci et temporis opportunitate interveniente, certis locis et ecclesiis ad tuendam catholicae religionis unitatem praeficit, laboribus et sumptibus non parcendo. Verbum Dei et in sua cathedrali et in conventionem generali comitorum Regni, magnis negotiis Reipublicae non impeditus, praedicat. Et qui hoc loco sui faciant, ut in cathedrali et in curia sua, prout et cantores et capellanos, magna sollicitudine conquisitos, semper ad manum habet et providet. Cancellarium quoque et I. V. Doct., alium praelatum, tum et maiorem domus qui omnem honestatem iuventuti in curia Dni Episcopi versanti demonstrat, habet. Auditur foris testimonium a piis et in veritate ipsam pietatem colentibus Reverend. Dnum Episcopum non solum saeculares clericos, sed etiam religiosos ad sui normam et recte vivendi semitam facile reducere posse. Pauperes autem et studiosos, ac quosvis alios pietatem ac honestatem colentes, tanto studio prosequitur, ut plerumque ipsius aerarium, quod non facile ab exercenda liberalitate in eorum usum abstinere valeat, evacuetur. Templis quoque reficiendis D. Episcopus dat operam et si in aliis pluribus locis, prope tamen Ge-

danum templum ab antiquo dirutum S. Adalberti protomartyris et Apostoli seu doctoris Sarmaticae gentis, ante duorum annorum decursum pulchre restaurovit, et in sua persona consecravit, ornamentis ecclesiasticis et pastore, sacerdote sibi placente et honesto, providit: quae omnia nunc proxime praeteritis mensibus per insolentiam Gedanensium in ruinam sunt redacta, unde Rev. D. Episcopus magnum sustinet moerorem, quod in illo loco occasio exercendae laudis divinae sit perempta. Prout et in monasterio amplissimo, similiter in favillam redacto, et in multis eiusdem D. Episcopi possessionibus Gedano adiacentibus, hoc hostili Gedanensi tumultu efficiente, contigit, ubi D. Episcopus annuos proventus, quibus pauperum et piorum ac studiosorum commoditati inserviebat, ultra quinque ducatorum millia amisit.

De usuris interrogatus testis, an apud D. Episcopum habeant locum, dixit illum maximum usurarium esse in piis causis hominum doctorum et honestatis amantium, erogationibus suae pecuniae et libertatibus, largitionibus, a quibus sibi non facile temperans, saepe vacuum circumgestat aerarium.

Vicarium etiam qui in spiritualibus et Officium generalem Rev. Dnum Decanum Wladislavensem, omnis dexteritatis et eruditionis virum plenum, in sua cathedrali et confessores ligare et solvere scientes, D. Episcopus habet. Unde fit ut D. Episcopi tanta solertia et dexteritate ac pietate perspecta, praelati et alii officarii suo non segniter fungantur officio, dominique canonici praefati Dni Episcopi vestigia sequentes, ad canonicas praeceptiones suam vocationem et vitam dirigunt; proptereaque divinus cultus, a media fere nocte coeptus, continuatur ad horam meridiei proximiorum.

Deposuit etiam testis, sanctam Eucharistiam, oleum, chrisma caeteraque et fontem baptismalem in hac cathedrali mundissime servari, quod se frequenter vidisse, deposuit.

Collegium quoque Capitularium et aliud Vicariorum anniversaria, certis temporibus occurrentibus et praecipue quatuor temporibus, et quando generale celebratur Capitulum, pro defunctis et Missas cantatas ibidem non intermittunt.

Quintus testis honorabilis Dnus *Stanislaus Przebojewski* in cathedrali Mansionarius et apud S. Joannem parochialis wladislaviensis commendarius, citatus et iuratus. Ante omnia reductum est illi iuramentum de dicenda veritate, per eum praestitum et in aliis generalibus debite examinatus. De tempore fundationis ecclesiae cathedralis nihil sibi constare asseruit, ad quam D. Episcopum bene intrasse credit. An vero castitatem observaverit, de eo testis retulit, melius illius custodi Angelo constare, quam alicui homini et ipsimet testi. De aliis in quibus priores deposuerunt testes, praesens etiam testis non multum discordat, quinimo in omnibus essentialibus idem affirmat aut negat et tantum deposuit.

Sextus testis famatus Dnus *Martinus Glamb*, civis et proconsul wladislaviensis civitatis, citatus et iuratus de veritate dicenda, in eum qui sequitur modum deposuit. Ante omnia reductum est illi iuramentum, quod de dicenda veritate praestitit, quod omnis falsidicus testis obnoxius sit tribus: Deo, cuius potentiam contemnit, proximo, quem fallit et damnificat, ac sibi ipsi, qui pro falso testimonio durum reportaturus est iudicium, et in aliis generalibus diligenter ac debite expeditus est. Testis interrogatus, a quo tempore fundata sit ecclesia cathedralis wladislaviensis, retulit, se ad tenorem et continentiam litterarum in urbe Romana super indulgentiis eidem ecclesiae a multis Episcopis concessis, anno Domini 1360 conscriptarum et ab Ordinario illius Mathia ratificatarum, quae litterae apparet erant expeditae et obtentae sub data Avinionii de mense Februario, non multo post cum eadem ecclesia aedificaretur vel paulo post cum esset iam exaedificata. Huius cathedralis ecclesiae sponsus seu Episcopus ad praesens est Rev. Dnus *Stanislaus Karnkowski*, de terra et districtu Dobrzinensi,

gestans pro armis agnum vellere albo contextum, quae apellantur idiomate polonico Iunossa. Idem Dnus Episcopus ad hanc suam ecclesiam iuxta praescriptum morem, hoc est per Serenissimi olim Regis Poloniae Sigismundi Augusti nominationem seu praesentationem ac deinceps a Sede Apostolica obtentam approbationem et in Consistorio publico Apostolico ex decreto et voluntate SS-mi D. N. pronuntiatus fuit. Atque his viis et vere per ostium eum intrasse deposuit. Castitatem sacerdotalem d. Episcopum servare ex vehementibus praesumptionibus et coniecturis dixit, cum illa Episcopus servare solitus sit, quae custodiam castitati praebent, hoc est, frequens ieiunium et continuam in cibis et potibus moderationem et abstinentiam, isque rumor existat ab omni foeminae conversatione et abhorrere et veluti ex praescripto fugere. Lectioni quoque ac meditationi et devotioni intentum esse, ac singulis diebus in cathedrali et in aliis locis, tum etiam in itinere, sacrum audire, et caetera, quae sunt officii episcopalis, uti in pontificalibus celebrare, Ordines et confirmationis sacramenta conferre, verbum Dei ex suggestu multoties mellifluo sermone et doctrinis pastore dignis praedicare, ac dioecesis Wladislaviensem suam tum per se, tum per suum Archidiaconum frequenter visitare, mores corrigere et sanam catholicam doctrinam auribus et devotioni sacerdotum parochialium inculcare, testis idem qui supra, ex sua certa deposuit scientia. Praecipua loca haereticorum insultibus et congregationi vicina et contigua, magno Dei iudicio, doctis iuxta ac piis et disertis viris sacerdotibus, religionem catholicam vere sequentibus, cum non mediocri lucro et cum aliquorum haereticorum conversatione providit et hactenus providet, et ut fortiter agant in vinea Domini hortatur.

Adiunxit etiam testis, D. Episcopum foris diversum habere testimonium seu rumorem, nam catholicorum et piorum is est de eo rumor, quod Rev. D. Episcopus verus Episcopus est, et suae vocationi et officio episcopali satisfacit; contra vero apud eos

quorum conatum et insultum reprimit, ne quidquam religioni catholicae adversum seminent, rigorosum et ultionis plenum nomen obtinet. Et inde est, quod domui suae laudabiliter et cum exemplo praeest, ut in aula illius schola virtutis existere apud extraneos enarretur.

Fovet in sua curia Cancellarium et alium iuris utriusque Doctorem, Capellanos et Cantores, quorum opera in exercenda laude divina praecipue utitur, Praedicatorem etiam verbi Dei, Theologiae Magistrum, ac maiorem domus suae, qui in corrigendis vitiis et plantandis virtutibus iuventuti, quae in aula illius versatur, praeest. Circa cathedralem quoque resident, D. Episcopi et auctoritate et provisione suffulti, Rev. Pater D. Vicarius in spiritualibus et Officialis generalis, Praedicator quoque ordinarius idem et Canonicus, Confessores maturi et graves viri multaeque experientiae et eruditionis competentes.

Testis deposuit praelatos et canonicos etsi paucos eos nimirum, qui resident, praeclare suis fungi officium in cathedrali, tum in conversatione foris ad aedificationem aliorum et praecipue iuniorum.

De asservatione vero Sanctissimae Eucharistiae et chrismatis, fontis baptismalis, testis dixit, Clericis omnibus in cathedrali assidue versantibus melius quam sibi constare. In quantum autem ad externam et superficiale considerationem et inspectionem, certissima apparere argumenta, munditiam intus et undequaque in conservandis praedictis sanctissimis rebus adesse, et per eos quorum interest, curari.

Liberalitatem in pauperes, studiosos, pios ac doctos, testis deposuit D. Episcopum tantam exercere, ut etiam aliquo testimonio non sit opus et omnibus tacentibus res ipsa testatur et loquitur: nam hospitale pauperum, schola cathedralis, Seminarium, antea illius opera et provisione exortum, doctores et Magistri in Cracoviensi universitate et sacerdotes suae dioecesis, qui praeclaros colunt mores, otium vitant et veluti D. Episcopi cooperatores sunt. Hi omnes et alii multi, ut organa illius liberalitate confecta, in

cathedrali Wladislaviensi abunde testantur et tanquam sonora voce pronuntiant D. Episcopum haec et non alia plus curare et in illis curandis maiorem suorum proventuum partem expendere.

Adiecit etiam testis, querelas subditorum suorum illum libenter admittere et veluti familiariter eiusmodi negotia tractare, quo subditi ab ipsius praesentia inconsolati non discederent. Et tantum deposuit: cui silentium ut moris est, etc.

Septimus testis, honestus *Nicolaus Rogala*, civis wladislaviensis, citatus et iuratus, in eum qui sequitur modum, deposuit.

A quo tempore fundata sit ecclesia cathedralis wladislaviensis ex auditu et communi hominum fama deposuit, ab annis ducentis et triginta interea existente episcopo wladislaviensi Mathia de Golancza.

Intrasse Episcopum praesentem ad hanc ecclesiam bene dixit, de aliqua vero simoniae labe nec se scire nec ab aliquo audivisse. Servare castitatem D. Episcopum ex ea causa dixit, quod D. Episcopus nullam habeat cum foeminis conversationem, a quarum etiam colloquio opportuno abstinere solet. Deposuit testis se praesentem fuisse, cum in hac cathedrali ecclesia D. Episcopus ex loco superiori praedicabat, devotionem autem et recitationem horarum canonicarum ac praesentem esse dum sacris operantur sacerdotes mysteriis ac illa omnia quae praecipuum spectant munus episcopale summa cum diligentia peragere, testis dixit, nihil familiarius esse iis omnibus officiis et negotiis apud D. Episcopum. Et in universum per singula interrogatus ita se habere respondit, seque summopere desiderare, etsi laicus idem testis existat, tales plures omnesve pastores et Episcopos esse. Specialiter etiam de praedicatoro familiari continue sequente curiam, respondit, ab aliis potius discendum esse quam ex praesenti dispositione, cum sit filius ipse D. Magister Theologiae praedicator ipsius testis et ita de filio suo minus se afferre debere testis dixit, obstante affectu naturali et puro. Ad ultimum adiunxit, multos praecessisse in hac sede wladislaviensi

Episcopos, in quibus tam praeclara dona et integerrimus religionis et devotionis affectus ac verum pastorale officium desiderabatur, ut in universum ea omnia testatus est, quae ad verum pastorem et bonum Episcopum spectant, Rev. D. praesenti episcopo Stanislao Karnkovio, veluti adnata esse et per hoc ipse testis expeditus est, cui silentium indictum est etc.

Octavus testis honestus D. *Paulus Rogala*, civis et consul wladislaviensis, citatus et iuratus de dicenda veritate, in eum qui sequitur modum, testatus est: Fundatam esse ecclesiam hanc cathedralem testis proxime supradictus dixit, a multis annis existere specificavitque quendam Mathiam caecum Episcopum, qui acceperat coadiutorem sibi, a quo coadiutore pessime tractabatur, ut fere ille Mathias emendicatis rationibus extremum vitae suae claudere in paupertate cogeretur.

Rev. D. Episcopum D. Stanislauum Carneovium testis legitimis viis et rationibus intrasse dixit ad hunc suum episcopatum. Ad alia vero interrogatus, quae officium pastorale et muneri episcopali conveniunt, testis deposuit, Rev. D. Episcopum suo satisfacere officio pastorali, quod cum adimplere et sincere et hilariter magis, quam ex necessitate dixit. De his autem interrogatus, quae dedecent non solum episcopalem et clericalem, sed etiam laicalem conditionem, uti foenerari, inebriari, commessionibus deditum esse, vel consanguineos ex bonis ecclesiae ditare, otium amare et caetera huiusmodi, respondit testis, praedicta et in consuetudine et in conversatione et in residentia et in itinere, et in propria persona Rev. Domini locum non habere, quinimo ab his omnibus, quae sacerdoti non conveniunt, procul abalienatum esse, et ea solum curare, quae in vero requiruntur pastore Episcopoque. Est autem hic testis bene latinus et tantum hic. Cui silentium ut moris etc.

Apud praecedentes testes erat specialis interrogatio, an bene et regulariter et sine scandalo tam

inferioris cleri quam aliorum hominum Reverendi Dni praelati et canonici vivant, deposuerunt, eos recte vivere et ab omni ratione declinare, idque eos facere exemplo sui capituli Rev. D. Episcopi, qui in tales gravem solet facere animadversionem; concubinarium autem nullum circa hanc cathedralem existere, nam saepe iussu Rev. Dni Episcopi et ex fraterna Capitulari correctione inquisitio solet esse de honestate vitae, ubi unus pro alio ea diligentia testimonium, prout in suimet purgatione facit.

**Sequitur ordo Vicariorum perpetuorum
eiusdem Ecclesiae Cathedralis Wladislaviensis.**

Nomina et cognomina.

Foelix Wartha, poenitentiarius.

Petrus Bielawy, vicedecanus.

Ioannes Rypin.

Albertus Rawa.

Antonius Tuszewski.

Franciscus Pezonow, vicecustos.

Andreas Strzelce, Plebanus Gostinensis pro
praesenti habetur.

Ioannes Chroslin.

Andreas Wieniec.

Stanislaus Zalewski.

Bartholomaeus Sochaczow, praecentor.

Valentinus Moszczenica.

Ioannes Radziejów.

Mathias Humiński.

Andreas Bialinin.

Ioannes Splawie, organista.

Artium Magister, scholae rector.

Desiderantur tres, videlicet Canoniceorum D.
Mathiae Karski, Sebastiani Koskowski et Andreae
Kretkowski.

**Proventus annui Vicariorum, quibus ut infra
spoliati sunt.**

In villa regali Kłobĩa Maiore, ad Capitaneatum Brzestensem spectante, decimam manipularem ab annis tribus D. Capitaneus Brzestensis, valoris 45 marcarum polonicalium, reddere aut solvere recusat. In eadem villa eisdem Vicariis manipularis decima ab annis decem, valoris 5 marcarum, per Dominam Tu-libowska retenta est.

Nobilis olim Christophorus Lasocki, Capitaneus Gostinensis, de villa regali ad eundem Capitaneatum spectante, dicta Skarżyn, per octo dum viveret valoris singulis annis marcarum 45 retinuit, pro quibus demortui Christophori haeredes in ius vocandi sunt.

In villa regali Zuzelcze dicta, D. Drzewieczczy, tenutarii, per annos quatuor proxime lapsos valoris marcarum polonicalium 45, decimam manipularem non solverunt.

D. Ioannes Piwo, villae regalis Długoleka tenutarius, decimam manipularem ab annis octo, valoris annui 10 marcarum, retinuit.

Domini Szirakowsezi decimam manipularem de advocatilibus agris in Szirakowo, ab annis duodecim, valoris annui trium marcarum, non solverunt.

D. Czekanowski, decimam manipularem valoris annui marcarum 10, retinuit.

D. Niemojewski de Dalkowo et Kolankowo, ab annis 13 manipularem decimam, valoris marcarum trium, retinuit.

D. Kaczkowski de Dobiesławicze et Długawieża, decimam manipularem, valoris octo marcarum, ab annis 13 non solvit.

D. Ostrowski de Skarmirowicze, ab annis decem, manipularem decimam valoris marcarum undecim.

Domini Szczkowsezi de Szczkowo, ab annis 14 valoris marcarum unae cum media.

Domini Wichrowsezi de Oszrembrowicze, ab annis octo, valoris marcarum 2.

D. Gregorinus Kretkowski Castellanus Brzestensis de Brzeszwo, ab annis 7, valoris 4 marcarum.

D. Liubiński de Kaliska, ab annis 7, valoris 3 marcarum. Idem Liubiński ad altare S. Petri ab annis decem, per marcas 7.

D. Baruchowski de Świętosław, ab annis septem, per marcas 2.

Dominus Liubiński uxor, de villa Czerwielicze, ab annis 7 per marcas 4.

In terra Dobrzinensi villae.

Rachczino,

Pabianki.

Curowo,

Zliewodi.

Witoszino.

Kroiczino.

Luskowo.

Jaworze.

Szuszice.

Halino et Viasth.

Ex his villis ab annis 15 decima pecunia-
ria retenta est.

**Sequitur ordo Mansionariorum huius Ecclesiae
Wladislaviensis.**

Simon Rawa.

Stanislaus Przeboiewski.

Mathias Bielski.

Wenceslaus Choczewy.

Tres autem desiderantur, seu vacant.

**Proventus eorundem ut infra
non solvuntur.**

In villa regali Rakutkowo, tenutae Domini Nicolai Działyński, Capitanei Covaliensis, decima mancipularis ab annis tribus retenta.

In villa Gradow nobilium, ex agris tam prae-
dialibus quam emetonalibus, videlicet Mathiae, Phi-
lippi Wąsowscy fratrum Laurentii, Mathiae, Stani-
slai, Hieronymi Swecczi et duorum filiorum Sta-
nislai Rudzki demortui, decima manipularis non sol-
vitur ab annis multis.

Villae in terra Dobrzinensi.

Chelmica maior et minor }
Śpiegowo. }
Radomicze. }
Brzeźno. }
Maliszewo. }
Oleśno. }
Lothoczino. }
Witowo. }
Sbytkowo. }

De eisdem villis
decimia pecunaria ab
annis multis de quo-
libet manso per gs 8
retenta.

Psalteristarum Ordo.

Valentinus Dobra, plebanus in Biczina, quae pro
psalteristis incorporata.

Ioannes Pilezotkowo.

Martinus Śmilowice.

Ioannes Stawiszyn.

Andreas Lubomin.

Jacobus Mioduski.

Duo desiderantur seu vacant.

Proventus psalteristis annui retenti sunt speci-
ficati superius in Visitatione parochialis villae By-
czina, quae psalteristis est incorporata, prout ibi
continentur.

Schola Cathedralis Wladislaviensis.

Ad praesentes in schola sunt adolescentes octo
et mendici quatuor; sunt praeter hos adolescentuli

et pueri nobilium et de civitate Wladislaviensi ac ex aliis oppidis et villis, ita ut iustus scholarium esse videatur numerus. Praedicti adolescentes habent pro sui sustentatione de mensa episcopali singulis diebus panem sufficientem et quatuor carniū portiones, amforam cerevisiae valoris trium grossorum. Horum adolescentium et totius inventutis habetur moderator et praefectus Magister artium ex universitate Cracoviensi, qui suis certis annuis obventionibus gaudet. Nam cum Vicariis patricipat et unus de numero illorum quoad obventiones annuas reputatur. Numerat quoque annuatim a Reverendis Dominis totoque Capitulo Wladislaviensi marcas polonicales 20; habet praeterea et decimam manipularem liberam in villa Siedlimino plebani Brzestensis, unde etiam praedictus Magister ex sua provisione certo salario in artibus Bacalaureum et Cantorem, qui toti scholae in cathedrali ecclesia praecinit et expensis quotidianis providet, nam prandium Magistro semper et illius continuis commensalibus nobilibus studiosis paratur.

Accessit insuper ante aliquot dies in congregatione Capitulari quod Rev. D. Joannes Demetrius Solikovius Secretarius Regius et Scholasticus wladislaviensis, magistro scholae praefato et pro tempore existenti marcas quinque usuales annuatim illi numerando tandiu, quoadusque Scholasticus wladislaviensis fuerit, itidem et alias quinque marcas ad habendum plures adolescentes donaverit et in protocollo capitulari, dum in hebdomada currenti ageretur inscribi et obligari curaverit. Ratione quarum quinque marcarum ibidem in Capitulo magister scholae obligavit se quinque adolescentes, praeter hos quos nunc habet, conquisiturum, inter quos dictam quinque marcarum pecuniariam annuatim dividet. Habent quoque adolescentes eiusdem scholae suas certas refectioes singulis diebus per annum a Rev. Dominis praesentibus et residentibus circa ecclesiam, Praelatis atque Canonicis, quibus singuli largiuntur clamantum ad se venientibus panes et cibaria cocta et pecuniarias re-

cordationes singulis diebus dominicis et feria quinta die capitulari.

Hospitale pauperum habetur, cuius a Capitulo sunt deputati provisores. Ven. D. Sebastianus Koskowski canonicus et famatus D. Martinus Glamb (*Glqb*) civis et proconsul wladislawiensis.

In eo hospitali in commune vivunt claudi, manci, coeci et caeteri debiles, quibus etsi a pluribus porrigatur eleemosyna, largius tamen et liberalius a Rev. Dno D. Stanislao Carnkovio Dei et Ap. Sedis gratia episcopo wladislaviensi et Pomeraniae, pauperes namque in eodem hospitali degentes examinati, quemadmodum Martinus maior hospitalis, Nicolaus coecus, Helisabet coeca, deposuerunt unanimiter, illis totique hospitali singulis septimanis duos modios siliginis mensurae wladislaviensis ex molendinis pro sufficiendis panibus et singulis mensibus datur eisdem pauperibus vas plenum seu tonna caerevisiae. Et singulis anni quartalibus eidem hospitali dantur duo modii pisae et totidem pultium hordeaceorum et duae pernae seu partes integrae lardi. Singulis quoque pauperibus tunica seu palium de panno et pellicea, illa autem in praesentem ordinem adserere, quae sacerdotibus et pauperibus fere singulis diebus de manibus Rev. D. Episcopi in pecuniis erogantur, inquisitores et examinatores modestiae causa et ne cum occultis piis operibus in publicum prodire videantur, verentur et abstinent. Illud tamen tacere nequeunt, quod supra memoratus Rev. D. Episcopus, videns et attendens nimium attenuatam esse mensam capitularem, ex his rationibus prout supra sufficienter est demonstratum, cum de mensa capitulari et illius personis ageretur, eidem mensae capitulari de sua mensa episcopali liberaliter et necessario (ne magna premerentur inopia) clavem seu quinque villas sub approbatione Sedis Apostolicae dedit, donavit, largitus est et perpetuo incorporavit, ut inde praesentes et circa cathedralem residentiam suam experientur commoditatem, septimanalesque haberent pro inter-essentia divinorum officiorum distributiones, paulo

quam antea habebant adactas, at non aliis, ut litterae super hoc confectae et consensus omnium et singulorum capitularium, protunc generale capitulum celebrantium sufficienter testantur, quo tempore per dnos capitulares ingentes et pleno affectu actae sunt gratiae agenturque fere immortales ex institutione, propterea capitularis anniversarii, in quo nunc capitulares Deum Optimum Maximum implorant, ut omnes vias et progressus atque conatus eiusdem Rev. Domini secundum suam sanctissimam voluntatem dirigat et in suo sancto timore conservare dignetur, ac deinceps ut eundem in suo regno, sua beata et ineffabili visione repleri et sine ullo fine perfrui faciat.

Ego Iosephus Konarzewski Juris Doctor Archidiaconus wladislaviensis testor, sic inquisitionem et testium examinationem factam esse sine ullo metu vel favore, prece aut adulatione, sed solius duntaxat veritatis inquirendae et habendae gratia. Ad laudem Dei Omnipotentis, cum gloria et gratiarum actione in saecula saeculorum, Amen.

Proventus Ecclesiae Collegiatae Crusvicensis.

Anno Domini 1527 conscripti, iuxta taxam antiquam omnium Beneficiorum ac Proventuum ex decreto Reverendissimi olim Domini D. Mathiae Drzewicii Episcopi Wladislaviensis taxati.

Et primo *Praelaturae*.

Praepositura.

Eam Praeposituram ad praesens obtinet Dnus Ioannes Tharnowski, cuius ius patronatus ecclesiae parochialis in Dzwierzno.

Slawecino XII marcae citra vel ultra, de agris desertis, de mansis quatuor marcae.

Skotniki, census VII $\frac{1}{2}$, citra vel ultra marcae.

In villa Crusvica II mansi, de quibus marcae duae solvuntur.

Taberna una solvit XI grossos.
Molendinum ventile solvit XI grossos.
De agris Hortulanorum solvuntur XVI marcae.
De praedio in arenda V marcae citra vel ultra
solvuntur.

Sawłowicze XXX marcae, citra vel ultra sol-
vuntur.

Ludziczko, anno secundo XVI marcae citra
vel ultra.

Maly Przewosz, una sexagena citra vel ultra.

Lanczko X marcae citra vel ultra.

Goliszewo III marcae citra vel ultra.

Item sex tracturae sagenae, incipiendo a mo-
lendino Praepositi usque ad rippam villae Ko-
belniki.

Melna villa deserta IV marcae de agris desertis.

Decanatus.

Decanus D. Mathias Karski, cuius ius patro-
natus ecclesiae parochialis in Parkanie. Wanorze
XVI marcae citra vel ultra.

Murzino maior XVI marcae citra vel ultra.

Murziniecz Capituli wladislaviensis, habet duos
mansos, de quibus marcae duae solvuntur.

Villa Cruswica de mansis II duae marcae cu-
iavienses.

Sławeczino duae sexagenae.

Archidiaconatus.

Archidiaconus D. Thomas Zakrzewski Doctor.
Novograd decima X marcarum citra vel ultra.

Scholastria.

Quam possidet D. Bąk dictus.

Polanowicze XIV marcae citra vel ultra.

Rurzewo et Janikowo VI marcae citra vel ultra.

Hynorzino III marcae.
Szewcze VI marcae citra vel ultra.

Cantoria.

Quam possidet D. Joannes Grocki, marcas XI.

Custodia.

Quam possidet D. Mathias Kielpiński.
Pamiczli minor, de agris possessis et desertis
census marcarum VI.

Skotniki maior regii, XVIII citra vel ultra
marcae.

Coszczały marcae XIII citra vel ultra.

De eadem Vicecustodi custos singulis annis te-
netur solvere II marcas.

Cancellaria.

Świątniki, haereditas deserta, cum censu et de-
cima marcarum X, sed nunc pro Drożewo commutata;
in Świątniki eadem decima marcae quinque citra vel
ultra, de qua facta est commutatio 1537 a.

Łagiewniki, pars decimae octo marcarum, anno
vero sequenti duae et tertio una.

Canonicorum Praebendae seu Fundi.

Piaski, eius possessor est Silvester Roguski, ibi-
dem praedium marcarum IV.

Wola Chrosna cum Bachorza duae sexagenae.
Skibino novem marcae citra vel ultra.

Broniewo maior una marca citra vel ultra.

Bacharcie.

Baltazar Górnicki possidet D. Prziyemski.

Bacharcieze census, praedium et decima XL
marcae.

Goczanowo, alternata cum ecclesia in Choceni
anno secundo marcae XXX.

Pieczki.

Dominus Josephus Conarzewski Juris utriusque
Doctor.

Minor Piezki censum emetones solvunt mar-
cas $4\frac{1}{2}$.

Praedium marcae tres, citra vel ultra.

Skotniki quinque marcae, citra vel ultra.

Wola marcae XII, alternata cum capitulo.

Sławenczino.

Mathias Dąbrowski ibidem Canonicus.

Sławenczino XVI citra vel ultra.

Gysewo marcae duae.

Łagiewniki.

Morzice.

Joannes Strzemeski possessor.

Morzice marcae octo citra vel ultra.

Zagorzice una sexagena praedii.

Regalino sex fertones.

Nassilowo tres fertones.

Wola tres marcae.

Dambrowka, alternata secundo anno 6 marcae.

Gluszin sexagenae duae.

Głembokie.

Mathias Zolsznicki possessor.

Głembokie 18 marcae citra vel ultra.

Sławsko.

Reverendus dominus Laurentius Kierski, decima
ibidem 30 marcae citra vel ultra.

Giżyce.

Reverendus Dominus Erasmus Miliński possessor.
Giżyce census duorum marcarum (*incorp. Suffr.*)
Praedium ibidem quinque marcae citra vel ultra.
Ibidem decima XII marcae.
Slawsko mincr.

Rozniatowy.

Dominus Paulus Czychrowski possessor.
Rozniatowy pars decimae duae sexagenae.
Jarnowice pars decimae una sexagena.
Przedworowicze pars decimae duae marcae.

Czethkow.

D. Petrus Pyotrowski eius possessor.
Starczewo praedium cmetones duo possessionati
V marcae.
Sokolniki et Czaszycze XVI marcae citra vel ultra.

Poświętne.

D. Nicolaus Wyszoczki possessor.
Radziejów pars decimae alternata 4 marcae,
tertio vero anno duae marcae.
Circa villam Coszczieszki duo mansi, de quibus
tres fertones solvuntur.

Papros.

Albertus Baranowski possessor.
Paprosz octo marcae citra vel ultra.
Baskowo marcae X citra vel ultra.
Bąkowo una et dimidia marca.
Ostrow alternata, anno secundo octo marcae
et altero anno $2\frac{1}{2}$ marcae.

Biskupice.

Petrus Kowalski possessor.
Ibidem decima marcae quinque citra vel ultra.
Raczewo sexagenae duae citra vel ultra.

Schablok.

D. Andreas Wytchowski possessor.
Tchorzewo una cum Schablok marcae 14 citra
vel ultra.

Broniewo.

D. Joannes Sikorski.
Broniewo 18 marcae citra vel ultra.

Gambice.

D. Lucas Skarzyński possessor.
Gembicze XXV marcae.
Dzierżazna 4 marcae citra vel ultra.
Różenna 9 marcae citra vel ultra.
Proczinko 4 marcae citra vel ultra.

Modlibożice.

D. Andreas Patricius Nidecki possessor.
Villa Crusvica X marcae.
Radziejowo oppidum, pars decimae cum praedio
IX marcae citra vel ultra.

**Privilegium Oeconomatus Ecclesiae
Wladislaviensis.**

Cum Episcopum in iis maxime rebus, quae ad
Deum sunt, versari et sibi iuxta ac universo gregi
suo in spiritualibus attendere, secundum Apostolicam
doctrinam oporteat nec deesse, is tamen iuxta leges

et instituta Regni huius Reipublicae possit aut debeat vix ei quidquam loci relinquatur ad curanda et administranda bona temporalia, sine quibus illa spiritalia recte subsistere et curari nequeunt: Iderico Nos Stanislaus Karnkowski Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, veterum canonum et institutorum memores, quo expeditius his muneri Nostro convenientibus curis, quemadmodum debemus vacare possimus, et bonis proventibusque mensae Nostrae episcopalis melius prospicere volentes, ne ea per incuriam praefectorum et administratorum sive alio quopiam casu detrimentum accipiant, maxime quando ecclesiam morte Episcopi vacare contigerit (ubi sicut experientia didicimus, bona episcopalia mobilia et immobilia direptioni obnoxia relinquuntur, per quod sacerdotali dignitati magna obtrectatio generatur, et successor iuxta ac antecessor Episcopus magnis damnis multatur): communicato super hoc Venerabilium Fratrum Nostrorum Praelatorum et Canonicorum ecclesiae Nostrae Wladislaviensis consilio et assensu, officium Oeconomiae in eadem ecclesia, ad exemplum metropolitanae ecclesiae Gnesnensis creandum, et constituendum esse duximus, et huius diplomatis vigore creamus et constituimus, unumque ex gremio Capituli Nostri praedicti, per Nos et successores Nostros instituendum esse sancimus, ex causa tamen rationabili, utpote magnae negligentiae et incuriae, aut inutilitatis, aut sordium et cupiditatis privatae amovibilem. Qui quidem Oeconomus cum omnium mensae episcopalis bonorum et proventuum, tum eorum imprimis quae et quos Nos de synodi Nostrae dioecesanæ sententia, et cum assensu eiusdem Capituli ecclesiae Nostrae, Seminario ministrorum ecclesiae ad praescriptum sacri Concilii Tridentini dudum a Nobis instituto, alio diplomate Nostro segregavimus, addiximus et incorporavimus, diligentem curam habere debet, ad eum quem statim subiecimus modum, nempe ut villas quidem Witow et Zbląg, cum praedio seu praediis, colonis, utilitatibusque earum omnibus regat et administret, fru-

ctus colligat et augeat, decimas e villis Chelmce, Sosnka et Kicko, et constitutas a monasteriis eorumque praesidibus pensiones anniversarias exigat et ad utilitatem eiusdem Seminarii, secundum praescriptum et constitutionem Nostram, per Nos ipsi Seminario datam vel dandam, convertat ac dispenset. Caetera vero bona mensae Nostrae episcopalis omnia et singula, semel tantum in anno cum scientia et arbitrio Nostro et successorum Nostrorum lustret et invisat, ac de statu et conditione ipsorum, et non finium regundorum ac de oppressionibus et gravaminibus subditorum inquirat, et Nos successoresque Nostros de omnibus informet, conditionem meliorem eorundem bonorum, ubi fieri poterit, citra tamen oppressionem subditorum, communicato in omnibus Nostro et successorum Nostrorum consilio, faciat. Iurabit autem Capitulo generali proximo idem Oeconomus Noster et bonorum mensae Nostrae pro tempore existens, antequam administrationi huiusmodi officii sibi commissi, quod omnia faciet fideliter et diligenter, quaecumque Nobis et successoribus Nostris mensaeque Nostrae et ecclesiae Wladislaviensi Seminarioque supra memorato maxime utilia fore noverit. Quae vero nocumentum afferre viderentur pro posse et industria sua amovere curabit, ac ne eveniat providebit. Iurabit etiam quod in eventu Nostrae mortis seu cessionis, bona omnia episcopalia mobilia et immobilia, armenta et greges, et incrementa eorum, nec non census, decimas et proventus quoscumque, qui per Nos aut successores Nostros testatos vel intestatos relictos fuerint, illi cui iure obvenire debebunt integre servabit, et consignabit servarique et consignari procurabit. Et ut eo commodius praemissa omnia exequi valeat, inventaria singulis suis visitationibus omnium rerum et bonorum mobilium et immobilium, pecorum, pecudum et eorum augmenti et decrementi, nec non crescentias frumentorum et aliarum rerum, maxime vero finium regundorum, conscribet, secumque habebit, quo Nos et successores Nostros ex illis de statu singularum rerum requisitus, certiores reddere pos-

sit. Ex his quoque inventariis tam Nobis viventibus quam successoribus Nostris perpetuo rerum omnium, maxime vero mobilium, puta pecorum, pecudum incrementum et decrementum ac alias utilitatem vel inutilitatem eorundem bonorum summarie monstrabit, et, quomodo inutilia ad utilitatem reduci valeant, Nobiscum conferet. Nihil autem exceptum erit quod Oeconomus facere non possit ad conditionem meliorem bonorum, castrorum et praediorum episcopialium conservandam aut procurandam, praeter quod ubi res novam erectionem, foundationem, aedificationem aut mutationem locorum vel domorum ex aliqua necessitate requireret. Quo in casu, consilio Nostro et successorum Nostrorum rem deferet. Et si quos locorum Capitaneos, factores et procuratores ac villarum advocatos, scultetos, et inutiles villicos vel damnosos esse cognoverit: villarum quidem villicos destituere vel meliores in locum eorum instituere poterit, sed Capitaneos et factores ac scultetos et advocatos ad Nos deferet, et id quod Nobis utilius de illis faciendum esse censebit, suggeret. Suggestet insuper et consulat Nobis, qualiter et ubi in singulis bonorum episcopialium locis conditiones meliores facere possemus, vel ubi labentia aedificia restaurationem aut bona in finibus regendis, aut subditi in eorum oppressionibus defensione Nostra et successorum Nostrorum eguerint. Si quid vero esset eiusmodi, quod vel odium vel invidiam ipsi Oeconomo generare possit, vel ipse Nos aut successores Nostros admonitiones suas nihili facere cognoverit, illud in Capituli medio indicabit consilioque et deliberationi Dominorum Capitularium relinquet; qui tandem Nobiscum vel eorum successoribus Nostris super hoc conferent, Nosque et successores Nostros de omnibus officii Nostri fraterne admonebunt. Descendet autem Oeconomus personaliter singulis annis ad omnes et singulas claves bonorum Nostrorum episcopialium, ac de statu et conditione rerum omnium mobilium et immobilium inquireret, inventariumque illarum singulis annis faciet; limites et fines haeredita-

tum disquiret, ac si opus fuerit, lustrabit et num salva et integra sint omnia et an egeant vel non egeant reparatione aut restauratione, videbit. Querelas subditorum mensae episcopalis audiet et ad Nos, si opus fuerit, referet seu de praemissis Nos et successores Nostros admonebit certioresque reddet. Visitando autem bona eiusmodi, a Praefectis et factoribus Nostris expensis honestis pro conditione sua Canonicali, ad maximum autem cum octo equis et servitoribus totidem procurabitur, ac quantum in unaquaque clave et praedio in eum tempore visitationis eiusmodi expensum fuerit, facto cum factore calculo, notam expensarum in se factarum manu sua apud factorem ipsum relinquet, ne factores plus aequo vel amplius quam is consumpserit in rationibus suis ipsi expensum ferant. Et praeter hoc, quotiescumque eum ire contigerit ad visitanda eadem bona mensae Nostrae, habebit semper praesentiam interim in Capitulo et ecclesia pro praesenteque censi et reputari debet, quandoquidem rem et ecclesiae negotia curat, sicut illi qui ad limites et alia negotia ecclesiae deputantur, habere consueverunt et habent. Praeterea licet sacris canonibus et statutis provincialibus, praesertim constitutione felicitis memoriae Joannis de Sprowa Archiepiscopi Gnesnensis, fuerit salubriter provisum, ne fructus et commoda bonorum episcopalium tempore vacationis obvenientia, quae in utilitatem ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter servari, Capitula vel singulares earundem ecclesiarum personae temere occupent et sibi vindicent, aut inter se dividant, dilapident et dissipent seu consumant, tamen quia nihilominus fieri solet communiter, ut nonnulli ecclesiae Nostrae Praelati et Canonici, praemissis non obstantibus, bona mensae Nostrae praedictae episcopalis eis tempore vacationis in gubernationem commissa, saepius pro usibus suis applicare et ea ad placitum suum cum dispendio animarum suarum et magno incommodo successorum usurpare ausu temerario non vereantur: unde et malam gratiam et odium successorum Episcoporum,

ad extremum et lites non sine mensae suae Capitularis gravi dispendio nonnunquam sibi conciliant. Ideo de consilio eiusdem Capituli Nostri et assensu expresso statuimus et ordinamus, ne sede eiusdem ecclesiae Nostrae Wladislaviensis per cessum vel decessum vacante, ad bona mensae episcopalis praedictae deinceps se Administrator vel Capitulum praefatum, quovis quaesito colore vel ingenio intromittat, sed illa sint omnia ad exemplum ecclesiae Gnesnensis in cura et dispositione ipsius Oeconomi, qui postea successori Episcopo de illis respondeat et rationem faciat sufficientem. Capitulum tamen sede vacante ipsi Oeconomo in tuendis et defendendis eisdem bonis in omni foro auxilio, consilio, patrocinio deesse non debet, verum sumptu et impensis, si quibus opus erit, more consueto successores Episcopi quod discretio et circumspectio Oeconomi providebit. Interim etiam, quamdiu eadem ecclesia vacaverit, idem Oeconomus ecclesiarum, in omnibus necessariis utpote cera, vino, oleo, et caeteris, quibus episcopus vivens pro tempore eam providere, etiam in salariandis et solvendis ministris illius consuevit, similiter providebit. Caeterum quod attinet ad inrisdictionem ecclesiasticam in spiritualibus, quae de iure ad Capitulum defuncto Episcopo devolvitur plenarie, quamque Capitula ad unum ex gremio Collegioque suo consueverunt deferre, commodum videretur, non gravando mensam Episcopi futuri multis et minus necessariis expensis, ut semper idem exemplo ecclesiae Gnesnensis, qui est Oeconomus, eligatur in Administratorem quatenus ad hoc idoneus Capitulo visus fuerit. Alioqui ubi alius quispiam idoneus, qui melius sciat et possit huic muneri et iuridicendo ex dignitate praeesse, in Administratorem eligeretur, extunc Oeconomus tenebitur eundem Administratorem expensis honestis et necessariis cum eius Notariis et Cancellario in omnibus providere, prout eius conditio requirit et ius commune disponit. Et quia qui sentit onus aequum est, ut etiam commodum sentiat, igitur Nos, ratione officii sui, Oeconomo pro tempore

existenti pro annuo salario decimas manipulares in... et... valoris quadraginta marcarum numeri et mone-tae polonicalis assignamus et attribuimus, per eum singulis annis percipiendas et in usus beneplacitos convertendas. Ad hoc autem Oeconomi munus ex-tunc obeundum, Venerabilem Dnum Andream Bli-nowski eiusdem ecclesiae Nostrae Wladislaviensis Canonicum, virum probum, solertem ac diligentem patremfamilias, una cum venerabili Capitulo in prae-sens eligimus, eumque Oeconomum Nostrum et saepe memoratae ecclesiae Nostrae creamus et instituimus, conferentes ei omnimodam potestatem superius enu-merata omnia, et si qua existant alia huic ipsi mu-neri accommodata, agendi, administrandi et obeundi: mandamusque et praecipimus omnibus et singulis ca-strorum et bonorum Nostrorum episcopalium Praefectis, Capitaneis, factoribus et procuratoribus, advocatis, scultetis, civitatumque et oppidorum et villarum incolis, ut supradicto Oeconomo in omnibus licitis et honestis et officio ipsius congruis, non secus ac Nobis ipsis pareant et obsequantur, et in munere suo quantum in ipsis erit eum promoveant. In quorum omnium fiden et testimonium sigillo Nostro et Ca-pituli Nostri subappendi curavimus. Datum Wladi-slaviae postridie Assumptionis B. Mariae Virginis anno Domini 1569. Praesentibus Reverendis et Ve-nerabilis Dominis Josepho Konarzewski archidiacono, Joanne Wilkowski, Joanne Szczawiński, Stanislae Dąbrowski, Andrea Naramowski, Casparo Annovio, Andrea Blinowski, Martino Goslicki, -Alberto Boru-kowski, Joanne Piotrowski, Petro Wyszczelski: Prae-latis et Canonicis ecclesiae Nostrae Wladislavien-sis. (*Vol 24*).

**Confirmatio Creationis Officii Oeconomatus
Wladislaviensis a S. Sede Apostolica.**

Beatissime Pater! Nuper devota Creatura Ve-stra Stanislaus Karnkowski, Wladislaviensis et Po-meraniae Episcopus, proventibus mensae suae episco-

palis prospicere volens, ne ea per incuriam praefectorum et administratorum sive alio quopiam casu detrimentum accipiant, maxime quum ecclesiam morte Episcopi vacare contigerit, ubi bona episcopalia mobilia et immobilia direptioni obnoxia relinquuntur, per quod sacerdotali dignitati magna obtrectatio generatur, devotorum virorum Praelatorum et Canoniorum ecclesiae Wladislaviensis accedente consensu, officium Oeconomatus in eadem ecclesia, ad exemplum metropolitanae ecclesiae Gnesnensis, creandum et constituendum esse duxit, prout creavit et constituit, unumque ex gremio Capituli ecclesiae Wladislaviensis, per ipsam Creaturam et successores suos Wladislavienses Episcopos pro tempore, et Capitulum praefatum eligendum, et per successores Episcopos Wladislavienses instituendum esse sancivit, ex causa tamen rationabili, utpote magnae negligentiae et incuriae aut inutilitatis vel sordium et cupiditatis privatae, amovibilem. Qui quidem Oeconomus quum omnium mensae episcopalis Wladislaviensis bonorum et proventuum, tum eorum imprimis, quae et quos ipsa Creatura de synodi dioecesanae Wladislaviensis sententia et cum assensu praefati Capituli Seminario ministrorum ecclesiae ad praescriptum sacri Concilii Tridentini dudum ab ipsa Creatura instituto, alio diplomate suo segregavit, addixit et incorporavit, diligentem curam habere debet, ad eum quem dicta Creatura subiiciet modum, nempe ut villas quidem Witow et Zbląg, cum praedio seu praediis, colonis, utilitatibus eorum omnibus regat et administret, fructus colligat et augeat, decimas e villis Chelmce, Sosnka, Kicko, et constitutas a monasteriis earumque praesidibus pensiones anniversarias exigat, et ad utilitatem eiusdem Seminarii secundum praescriptum et constitutionem ipsius Creaturae ipsi Seminario datam vel dandam convertat et dispenset; caetera vero bona mensae episcopalis praefatae, omnia et singula, semel tantum in anno cum scientia et arbitrio ipsius Creaturae, et Episcoporum Wladislaviensium pro tempore existentium, lustret et visitet ac de statu et

conditione ipsorum, necnon finium regundorum, ac de oppressionibus et gravaminibus subditorum ipsius ecclesiae inquirat, et ipsam Creaturam et pro tempore Wladislavienses Episcopos existentes de omnibus informet, conditionem meliorem bonorum eorundem, ubi fieri poterit, citra tamen oppressionem subditorum, communicato in omnibus ipsius Creaturae et dictorum successorum consilio faciat, iurabit autem in Capitulo generali proximo idem Oeconomus ipsius Creaturae et bonorum mensae episcopalis praefatae pro tempore existens, antequam ipsius officii sibi commissi administrationem suscipiat, omnia faciet fideliter et diligenter, quaecunque eidem Creaturae et successoribus praefatis mensaeque ecclesiae Wladislaviensis Seminarioque supra memorato maxime utilia fore noverit, quae vero nocumentum afferre viderentur, pro posse et industria sua amovere curabit, et ne eveniant, providebit, iurabit etiam, quod in eventu mortis ipsius Creaturae seu cessionis, bona omnia episcopalia, mobilia et immobilia, armenta et greges et incrementa eorum, nec non census et decimas ac proventus quoscunque, qui per eandem Creaturam aut suos successores praedictos, testatos vel intestatos, relictii fuerint, illi cui iure obvenire debebunt, integre servabit et consignabit servarique et consignari procurabit, et ut eo commodius praemissa omnia exequi valeat, inventaria singulis suis visitationibus omnium rerum et bonorum mobilium et immobilium, pecorum, pecudum et eorum augmenti et decrementi, nec non crescentias frumentorum et aliarum rerum, maxime vero finium regundorum conscribet, secumque habebit, quo ipsam Creaturam et successores praefatos ex illis de statu singularum rerum requisitus, certiores reddere possit. Ex his quoque inventariis tam ipsa Creatura vivente, quam successoribus Episcopis praefatis perpetuo rerum omnium, maxime vero mobilium, puta pecorum, pecudum decrementum et incrementum, et alias utilitates et inutilitates eorundem bonorum summarie commonstrabit, et quomodo inutilia ad utilitatem reduci valeant, cum eadem Crea-

tura et successoribus praefatis conferet. Nihil autem exceptum erit, quod Oeconomus facere non possit ad conditionem meliorem bonorum, castrorum et praediorum episcopalium conservandam aut procurandam, praeter quod, ubi Nos novam erectionem, fundationem, aedificationem aut mutationem locorum vel domorum ex aliqua necessitate requireret, quo in casu consilio eiusdem Creaturae et praedictorum suorum successorum Episcoporum rem deferet, et si quos locorum Capitaneos, factores ac procuratores et villarum advocatos, scultetos et villicos inutiles et damnosos esse cognoverit, villae quidem villicos destituere, et meliores in eorum locum instituere poterit, sed Capitaneos et factores ac scultetos et advocatos ad Creaturam deferet, et id, quod ipsi Creaturae utilius de ipsis faciendum esse censebit suggeret., suggeret insuper et consulet eidem Creaturae, qualiter, et ubi in singulis bonorum episcopalium locis conditiones meliores facere posset, vel ubi labentia aedificia restaurare, aut bona in finibus regundis, aut subditi in eorum oppressionibus defensione ipsius Creaturae et successorum suorum praefatorum eguerint, si quid vero esset huiusmodi quod vel odium vel invidiam ipsi Oeconomo generare posset, vel ipse eandem Creaturam aut successores praefatos admonitiones suas inibi facere cognoverit, illud in Capituli medio indicabit, consilioque et deliberationi Dominorum Capitularium relinquet. Qui tamen cum eadem Creatura et successoribus praefatis super hoc conferent, eandemque Creaturam et successores praefatos de omnibus admonebunt. Descendat autem Oeconomus personaliter singulis annis ad omnes et singulas claves bonorum episcopalium, ac de statu et conditione rerum omnium mobilium et immobilium inquirat, inventariumque illarum singulis annis faciat, limites et fines haereditatum disquiret, ac si opus fuerit monstrabit, et si salva et integra sint omnia, et an egeant, an vero non egeant restauratione aut reparatione videbit, querelas subditorum mensae episcopalis audiet et ad Creaturam praefatam, si

opus fuerit, referet seu de praemissis eandem Creaturam et factores praefatos admonebit, certioresque reddet. Visitando autem bona eiusmodi a praefectis et factoribus ipsius Creaturae expensis honestis pro conditione Canonicali, ad maximum autem cum octo equis et servitoribus totidem procurabitur, et quantum in unaquaque clave et praedio in eum tempore visitationis huiusmodi expensum fuerit, facto cum factore calculo, notam expensarum in se factarum manu sua apud factorem ipsum relinquet, ne factores plus aequo vel amplius quam is consumpserit, in rationibus suis ipsi expensum ferant. Et praeter hoc quotiescunque eum ire contigerit ad visitanda bona mensae praefatae, eandem semper habebit praesentiam, interim in Capitulo et ecclesia pro praesentique censi et reputari debet, quando quidem rem et negotia ecclesiastica curat, sicut illi, qui ad limites et alia negotia ecclesiastica deputantur, habere consueverunt et habent. Praeterea, licet sacris Canonibus et statutis provincialibus, praesertim constitutione felicitis memoriae Joannis de Sprowa Archiepiscopi Gnesnensis fuerit salubriter provisum, ne fructus et commoda bonorum episcopaliu[m] tempore vacationis obvenerint, quae in utilitatem ecclesiasticam expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter servari, Capitula vel singulae earundem ecclesiarum personae temere occupent et sibi vindicent, aut inter se dividant, dilapident et dissipent, seu consumant: tamen quoniam nihilominus solet fieri communiter, ut nonnulli ecclesiae wladislaviensis Praelati et Canonici, praemissis non obstantibus, bona mensae praedictae episcopalis, eis tempore vacationis in gubernationem commissa, saepius pro usibus suis applicare, et ea ad placitum suum cum dispendio animarum suarum et magno incommodo successorum usurpare ausu temerario non vereantur: unde et malam gratiam et odium successorum Episcoporum, ad extremum et lites non sine mensae suae Capitularis gravi dispendio, nonnunquam sibi conciliant: ideo de consilio dicti Capituli et assensu expresso eadem Crea-

tura statuit et ordinavit, ne sede eiusdem ecclesiae wladislaviensis per cessum vel decessum vacante, ad bona mensae episcopalis praedictae deinceps se Capitulum praefatum quovis quaesito colore vel ingenio intromittat, sed illa sint omnia ad exemplum ecclesiae Gnesnensis in cura et dispositione ipsius Oeconomi, qui postea successori Episcopo de illis respondeat et rationem faciat sufficientem. Capitulum tamen sede vacante ipsi Oeconomo tuendis et defendendis eisdem bonis in omni foro auxilio, patrocinio et consilio deesse non debet, verum sumptu vel impensis, quibus opus erit, more consueto successorem Episcopi eadem discretio et circumspectio Oeconomi providebit. Interim etiam quamdiu eadem ecclesia vacaverit, idem Oeconomus ecclesiam in omnibus necessariis, ut puta: cera, vino, oleo et ceteris, quibus Episcopus vivens pro tempore eam providere etiam in salariandis et solvendis ministris illius censuerit similiter providebit. Caeterum quod attinet ad iurisdictionem ecclesiasticam in spiritualibus, quae de iure ad Capitulum defuncto Episcopo devolvitur plenarie, quamque Capitula ad unum ex gremio et collegio suo consueverunt deferre, commodum videretur non gravando mensam Episcopi futuri multis et minus necessariis expensis, ut semper idem, exemplo ecclesiae Gnesnensis, qui est Oeconomus, eligatur in administratorem, quatenus ad hoc idoneus Capitulo visus fuerit. Alioquin ubi alius quispiam idoneus, qui melius sciat et possit huic muneri et iuridicando ex dignitate praesse, in administratorem eligeretur, extunc Oeconomus tenebitur eundem administratorem expensis honestis et necessariis cum eius Notariis et Cancellario in omnibus providere, prout eius conditio requirit et ius commune disponit, et quia qui sentit onus, aequum est ut etiam commodum sentiat, igitur pro tempore existenti Oeconomo ratione officii sui, pro annuo salario manipulares ... (deest, *vacuus unus versus*) pecuniarum numeri et monetae polonicae assignavit et attribuit, per eum singulis annis percipiendi et in usus beneplacitos

convertendi. Ad hoc autem Oeconomum munus obeundum, eadem Creatura devotum Sanctitati Vestrae oratorem Andream Blinowski dictae ecclesiae Wladislaviensis Canonicum, accedente praefati Capituli Wladislaviensis consensu, elegit cumque Oeconomum dictae ecclesiae Wladislaviensis creavit et instituit, conferendo ei omnimodam potestatem, superius enumerata omnia, et si qua existunt, alia huic muneri accommodata agendi, administrandi, obeundi; mandavitque eadem Creatura et praecepit omnibus et singulis castrorum et bonorum episcopalium Wladislaviensium praefectis, Capitaneis, factoribus et procuratoribus, advocatis, scultetis, civitatumque et oppidorum ac villarum incolis, ut supradicto Oeconomum in omnibus licitis et honestis, et officio ipsius congruis, non secus ac ipsi Creaturae pareant et obsequantur, et in exequendo munere suo, quantum in ipsis erit, eum promovebunt, aliasque et alia fecit, prout in eiusdem Creaturae litteris, quarum tenorem Beatitudo Vestra pro expressis habere placeat, plenius continetur, et cum Pater Sanctissime ea, quae a Beatitudine Vestra sanctaque Sede Apostolica confirmatur et apprehatur, decentius et firmiter observentur, suosque plenarios et integros sortiantur effectus: Supplicat igitur humiliter Beatitudini Vestrae Andreas orator praefatus, quatenus veriores litterarum praedictarum tenores etc. pro expressis habendo, sibi que specialem gratiam faciendo, ordinationem, constitutionem, sanctionem, assignationem, attributionem et mandata, aliaque praemissa, ac omnia et singula in illa contenta et inde sequuta ac sequenda quaecunque, Apostolica auctoritate confirmare et approbare, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adicere, eaque omnia per eos, ad quos id quomodolibet spectat et in futurum spectabit, perpetuo, firmiter ac inviolabiliter observari debere, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, sed ad illorum omnium observationem, perpetuo obligatos fore et esse, ac ad id etiam per censuras ecclesiasticas ac pecuniarias poenas cogi et compelli posse per quoscunque iudices etc. sublata etc. iudicari etc.

debere, irritum quoque etc. decernere. omnesque alios et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum etiam de iuris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum, forsitan omissarum defectus, si qui forsitan intervenerint, in eisdem supplere, decretumque pariter et auctoritatem interponere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus praemissis tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis ac decretis in contrarium forsitan quomodolibet concessis etc. ordinationibus omnibus et si de illis etc. illorum tenores etc. latissime hac vice duntaxat specialiter et expresse derogare placeat; caeterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis et consuetis. Fiat ut petitur. M.

Et cum absolute a censuris ad effectum etc. et quidem veriores litterarum praedictarum tenores etc. pro expressis habeantur, seu in toto vel in parte exprimi poterint in litteris, et de confirmatione, approbatione, roboris adiectione decreto. defectuum supplementatione, decreti et auctoritatis interpositione, derogatione, et aliis praemissis, quae hic pro sufficienter repetitis ad partem habeantur, in forma gratiosa in litteris latissime extradi et cum opportuna, si videbitur iudicum executorum deputatione, qui assistant et praemissa etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis videlicet et poenis etiam pecuniariis, eorum arbitrio moderandis et applicandis, observari faciant. Cum potestate citandi, ac sub eisdem censuris et poenis inhibendi, inobedientesque et rebelles quoscumque sententias et poenas huiusmodi incidisse et incurrisse declarandi, aggravandi, reaggravandi et interdicens, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Cum dietarum, dummodo non ultra tres, quatenus opus sit, opportuna derogatione, in litteris latissime extradendis. Et quidem praemissorum omnium et singulorum cognitioni, invocationi, denominationi annexorum, qualitatum, aliorumque circa praemissa necessariorum maior etiam verior

specificatio et expressio fieri possit in litteris expediendis. Fiat. M.

Datum Romae apud S. Petrum kalendas Iunii Anno sexto. (*Vol. 186 f. 98*).

**Privilegium super Hospitali et Schola
Wladislaviensi.**

In Nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam, ut ait Hieronymus, gloria Episcopi est pauperum aegestati ac indigentiae providere; ignominia vero sacerdotis est propriis studere divitiis: proinde Nos Stanislaus Karnkowski Dei gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, attendentes sexus utriusque pauperes in Hospitali civitatis Nostrae Wladislaviensis commorantes, nec non scholares in templo Dei noctu diuque psallentes et deservientes; modicam admodum vel plane nullam vicium habere provisionem, adeo quidem, quod plerique famem perpeti, ne dicamus fame perire, cogantur, Ecclesiaeque seu templum Domini, propter defectum clericorum sive scholarum in officiis divinis negligi saepenumero videbatur. Cum autem, sicut dicit canon, facultates quas possidet Ecclesia, communes sunt Ecclesiae, non propriae, consequens est, ut qui praepositus est Ecclesiae Dei, omnium quae habet Ecclesia efficiatur dispensator, usque adeo, ut non solum ea quae sunt Ecclesiae communia, sed etiam quae habet propria, propter perfectionem, quae in eo prae caeteris clarere debet, fideliter in pauperes ac in usus necessarios Ecclesiae dispensare lege christiana teneatur et sit adstrictus. Cupientes itaque Nos praemissis defectibus hac in parte consulere Nostroque non deesse officio, communicato super hoc Venerabilium Fratrum Nostrorum Praelatorum et Canonorum Nostrae Ecclesiae consilio, decrevimus, decernimus et statuimus, ut deinceps perpetuis temporibus ex molendinis mensae Nostrae Wladislaviensis,

et praesertim in molendino dicto Świąch (*Świech*), singulis septimanis pro victu pauperum Hospitalis praedicti Wladislaviensis per duos choros farinae sigilinae et singulis quartalibus anni coros pisi duos, item partes duas lardi, pultium vero ordaceorum coros duos. Pro festis autem Natalis Domini, Paschae, Pentecostes et Assumptionis Beatissimae Mariae Virginis quartam partem carnis bovinae aut arietem, et insuper pro quolibet mense unum vas quod vocatur Ślyedzówka cerevisiae, semper quotannis ex arce Nostra Wladislaviensi per Oeconomum seu arcis praefectum et dispensatores Nostros et successorum Nostrorum irrecuse et absque ulla procrastinatione, perpetuis temporibus detur. Similiter et Scholaribus pauperibus ludi litterarii, ultra eos qui manent in Seminario, singulis diebus cuilibet eorum panem unum distribui consuetae magnitudinis diariae, cerevisiae ollas duas et praeter hoc obsonii alicuius, puta pisae vel caulis cum lardo, etsi fieri poterit portio aliqua carnis vel alex ex coquina arcis detur. Volumus autem ut ipsius Hospitalis provisores singulis annis unus ex gremio Capituli, alter ex consulibus civitatis Wladislaviensis semper eligantur, et sint iurati, qui necessitates dicti Hospitalis provideant et bono ordini illius intendant, pauperes nonnisi istius Nostrae Dioecesis in domum Hospitalis, et eos aetate vel morbo gravatos, nec victum manibus quaerere valentes, suscipiant, proventus hospitalis colligant ac singulis annis rationem in medio Capituli generalis festi Circumcisionis Domini de perceptis et expensis faciant. In cuius rei fidem praesentibus sigillum Nostrum est appensum. Datum Wladislaviae in crastino Assumptionis Mariae Anno Domini 1569. Praesentibus ibidem Reverendis ac Venerabilibus Dominis Josepho Konarzewski archidiacono, Joanne Wilkowski, Stanislae Sczawiński, Stanislae Dąbrowski, Andrea Narembowski *), Casparo

*) mendose: legendum potius *Naramowski*,

Annovio, Andrea Blinowski, Martino Goślicki, Alberto Borukowski: Praelatis et Canonicis ecclesiae Wladislaviensis. (*Vol. 24 f. 145 v.*)

**Donatio bonorum Dobrcz, cum villis
adiacentibus.**

In Nomine Domini. Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Res, quae sempiternae futurae esse debent, nisi litterarum monumentis posteritati traderentur, facile interirent: Quare Nos Stanislaus Karnkowski Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, Universis et singulis tam praesentibus quam futuris hisce litteris Nostris notum testatumque esse volumus: Quod Nos considerantes ecclesiam Nostram cathedralem Wladislaviensem temporum iniquitate ad inopiam et egestatem redigi, in diesque magis ac magis desolari, adeo ut iam pauci aegreque reperiantur et Praelatis et Canonicis ipsius, qui penes eam residere eiusque incolunitatem, utilitatem atque dignitatem, secundum sacrorum canonum constitutiones ac decreta tueri velint, simulque pro officio Nostro magnopere cupientes cultum divinum in ea in sempiternum tempus augeri atque propagari, Praelatosque atque Canonicos illius ad continuam residentiam alluci, cum secundum Concilii Tridentini decreta, in distributiones quotidianas ex ipsorum praebendis et proventibus, ob eorum tenuitatem, nihilominus detrahere aut diminuere Nobis liceret, pietatis atque religionis studio officioque Nostro ex bonis ad mensam Nostram pertinentibus, ei rei prospicere atque consulere ad animum duximus. Quocirca bona ac villas Nostras Dobrcz, Cziarnowo, Osielsko, Trzebiątwo, Siechotowo, cum desertis villis Siechotowo, Lipnica et Zalesie nuncupata, in palatinatu Iuniwladislaviensi et districtu Bidgostiensi sita, eidem ecclesiae Nostrae ac suo venerabili Capitulo, ex mera libertate sincere et pio affectu, damus, donamus, attribuimus, ac

perpetuo et irrevocabiler adscribimus, cum omni iure atque dominio omnibusque praefatorum bonorum fructibus, censibus, redditibus, proventibus, agris, praediiis, silvis, nemoribus, pratis, lacubus, stagnis, piscinis, molendinis, et omnino omnis generis utilitatibus et emolumentis, quae ex eis provenire solent, aut quacunque opera vel industria percipi possunt, etiam una cum iure patronatus et conferendi ecclesias parochiales in praefatis bonis consistentes, toties quoties earum vacationes contigerint. Volumus autem et omnino ita disponimus ac ordinamus, ut praefatorum bonorum fructus et proventus omnes quaecumque ex eis aliquando percipientur, non in alium quemquam usum, quam in *distributiones quotidianas*, sive ut vulgo vocant in *refectiones praesentium* tantum et apud praefatam ecclesiam Nostram pro tempore residentium convertantur, ita ut absentes nullum ex eis commo- dum sentiant, sed totum quantumcunque ex praefatis bonis percipietur. inter praesentes tantum per totum anni circulum septimanatim distribuatur et distributionibus pristinis, ex quibus hac libertate et accessione per Nos facta nolumus quicque detrahi, diminui aut immutari, salvis et integris permanentibus. Curabunt autem et efficient Praelati atque Canonici praedictae ecclesiae Nostrae, ut praesens donatio atque ordinatio Nostra Sedis Apostolicae decreto atque auctoritate confirmetur firmaque et rata habeatur, provideatur modis et rationibus opportunis, ne ullo modo a quocumque infringi immutarive possit. Efficiemus etiam Nos ut Sacrae Regiae Maiestatis ad rem voluntas et consensus accedat. In quorum fidem et testimonium praesentes sigillo Nostro communiri iussimus. Datum Wladislaviae in festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis Anno Domini 1576. Praesentibus Reverendis Dominis Joanne Tarnowski Wladislaviensi et Crusviciensi Praeposito Curiaeque Nostrae Cancellario, Mathia Wielicki Wladislaviensi et Sendomiriensi Decano, Josepho Konarzewski Archidiacono, Mathia Kiełpiński Cantore, Alberto Gadomski Archidiacono, Andrea Na-

ramowski, Jacobo Milewski, Zimliński, Joanne Piotrowski, Nicolao Koss, Mathia Wyścielski, Nicolao Konarski. Paulo Czychrowski, Nicolao Wysocki, Sebastiano Kuskowski, Mathia Karski, Thoma Zakrzewski. (Vol. 24 f. 146 v.)

